

latina dicatur et sit, tot tamen peculiare loquendi modos praesert, ut vere dici possit proprium usum loquendi habere, necessario investigandum interpretibus et addiscendum. Itaque secundum hunc duplicem respectum distincte tractabimus de usu loquendi Sacrae Scripturae.

ARTICULUS II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO DIRECTE CONSIDERATO IN TEXTIBUS ET LINGUIS ORIGINARIIS SACRAE SCRIPTURAE.

Quaenam sint linguae originariae quibus Sacri Libri conscripti fuerunt saepe in Critica Introductione diximus. Sunt scilicet tres: *Hebraica, Chaldaica, et Graeca*. Hebraica quidem lingua libri omnes proto-canonici V. T. exarati fuerunt, et in eadem lingua adhuc supersunt, et constituunt proprie dictum *Textum hebraicum*: Chaldaica lingua licet quidam integri libri conscripti fuerint nunc tamen tantummodo quaedam capita extant in Libro Danielis (II, 4 - VII, 28) et in Libro I Esdrae (IV, 8 - VII, 26). Demum Graecam linguam praesecerunt septem libri deuterocanonici eiusdem V. T. et integrum N. T. (1). Itaque nobis agendum est in hoc articulo cum de usu loquendi hebraico V. T., cui affinis est chaldaicus partium Danielis et Esdrae, tum de usu loquendi graeco Hagiographorum utriusque Testamenti. De utroque vero triplicem quaestionem instituemus: 1^o De peculiari indole seu natura praefati usus loquendi. 2^o De eius notitiae utilitate atque valore in hermeneutica Biblica. 3^o De recta methodo linguae Biblicae ediscendi, quatenus id cum recta Scripturarum intelligentia connectionem habet.

(1) Haec intelligenda sunt iuxta ea quae diximus in Critica Introductione, scilicet quod nonnulli ex laudatis libris a suis auctoribus prodierunt lingua aliqua Semitica, idest vel Hebraica, ut Barnch, I Machabaeorum et Ecclesiasticus, vel Chaldaica, ut Judith et Tobias, vel dialecto Syro-chaldaica aut Hierosolymitana, ut Evangelium Matthaei, nunc tamen, deperdito originali textu, horum librorum Graeca versio ad instar textus habetur: coeteri vero originario in lingua Graeca apparuerunt.

§ I. De indole hebraici et graeci Textus Sacrae Scripturae.

Seorsim dicendum est primum de textu hebraico et chaldaico, tum vero de textu graeco.

I. De Textu hebraico eiusque indole pauca adnotasse sufficiat: cum enim alii libri praeter Sacram Scripturam non supersint Hebraica lingua conscripti ante eiusdem linguae fatum, quidquid grammatici et philologi de hebraico sermone tradunt ad Sacrum textum omnino pertinet, et ab iis propterea ediscendum est. Praestabit tamen pauca ex his colligere, aut in mentem revocare.

Lingua Hebraica ad illam linguarum familiam pertinet, quas veteres solebant *Orientalis* appellare, recentiores vero *Semiticae* vocare amant, quamvis neutra appellatio accurata sit. Praecipuus huius familiae ramus constituitur ipsa lingua Hebraica, una cum *phoenicia, et punica*, seu carthaginiensi, quae vix ab ea differant, et dialecto, uti aiunt, *neo-hebraica*, quam recentiores Iudaeorum doctores ex veteri lingua cum extraneis elementis plus minus commixta, et in formis leviter immutata, sibi paulatim efformarunt. Diu inter criticos quaestio agitata est, utrum lingua Hebraica primitiva generis humani lingua dicenda sit, ab ipso Deo proto-parentibus communicata. Antiquiores plerique affirmabant, recentiores fere omnes negant: ex progressu enim philologiae comparatae, seu scientiae, uti vocant, linguisticae, philologi plerique in hanc sententiam devenerunt, primitivam hominum linguam nusquam amplius existere sed eius tantum vestigia et veluti fragmenta in linguis nunc notis superesse ac praecipue in illis quae antiquiores sunt, et linguae *matres* seu stipites familiarum appellantur. Non est hic locus argumenta hinc inde afferri solita exponendi aut propugnandi (1).

Licet hebraica lingua in variis libris V. T. paullisper differat,

(1) Qui pleniorum harum rerum notitiam cupiunt adire possunt celeberrimos linguisticae scientiae tractatores, Schlegel, Adelung, Müller aliosque recentiores; ex his tamen plerique cum magna cautela legendi sunt, utpote qui vel praedudicis occupati, vel scientiae religionis ignari saepe erroneas aut periculosas opiniones sequuntur. Placeat tirones remittere ad duas priores *praelectiones* Card. Wiseman *De connexione inter scientiam et reuelatam religionem*, nec non ad alium auctorem nunc parum notum, sed eruditione et solido iudicio praestantissimum P. Bonif. Finetti in *Trattato della Lingua Ebraica e sue affini*, Venezia 1756. Lezione 1. et 3.

universa tamen eius indoles eadem ubique est. Haec autem sequentibus haece proprietatibus constat, quae fere communes sunt etiam laudatis chaldaicis pericopis. Singula vocabula consonis tantum literis scribuntur, quemadmodum generatim in tota stirpe Semitica: radices ut plurimum trilaterae sunt: voces compositae fere nullae praeter nomina propria: in quibusdam vero orationis partibus magna inopia observatur. Et haec quidem partem *lexicalem* linguae spectant. Quod attinet autem characterem *grammaticalem* imprimis nomina genus tantum masculinum et foemininum habent, neutro carent, cuius loco saepe foemininum usurpatur; articuli desunt, sed eorum loco praefixum *he* demonstrativum absque generis, casus et numeri distinctione usurpatur: pronomina pauca et imperfecta, sed eorum locum suffixa plerumque tenent: casuum diversitas non quidem nominis inflectione et desinentia exprimitur, sed, indeclinabili manente forma nominis, vel positione, vel praeifixis vel pronuntiatione aut tantum sensu distinguitur. Formae comparativae omnino desunt, eaque relatio vario artificio, aut circumlocutione exprimitur. In verborum coniugatione magna apparet diversitas a nostris linguis: imo coniugationes proprie dictae non existunt, sed unum idemque verbum mutata paullisper literarum positione, aut pronuntiatione, vel assumptis auxiliaris literis, diversas formas induit diversaque significationes: modorum et temporum formae admodum paucae sunt, caeterae vero propriis quibusdam modis, et vocum constructionibus supplendae sunt. Universim inspecta Hebraica lingua cum in copia verborum, tum in numero et distinctione formarum grammaticalium Arabica longe inferior est, Aramaicam vero vel aequat vel paullisper antecedit. Haec quidem universae Hebraicae linguae communia sunt. Diximus tamen quasdam diversitates observari inter linguam diversorum librorum. Huc enim pertinent quae in superiori articulo dicta sunt de variis mutationibus quibus linguae obnoxiae sunt, et de causis unde oriri solent. Quinimo mirandum est non ita graves apparere mutationes in lingua V. T., cum eius libri per totum spatium duodecim fere saeculorum conscripti fuerint. Sed id repetendum est ex peculiari tenacitate, et traditionali characterere populorum, et linguarum orientalium. Nihilominus tamen mutationes non defuerunt. Et quidem in Pentateucho antiquissimo inter Hebraeorum scripta

multa occurrunt archaica, sive in vocibus sive in formis, puta in pronomine foeminino, in pronomine demonstrativo plurali, in foemininis quibusdam masculinam formam servantibus, et aliis nonnullis, quorum exempla adducta sunt in prima parte Introductionis Criticae Sect. II. Cap. II. a. 3. In posterioribus etiam libris aliqua differentia occurrit si conferantur libri circa tempus captivitatis Babylonicae, vel postea conscripti cum antiquioribus: in illis enim plus minusve recurrunt elementa peregrina imprimis vero Aramaica, qualia sunt *ex. gr.* frequens usus *ו* praefixi loco pronominis relativi *אשר* item voces nonnullae, ut *חם* *genus, familia*, *גופה* *corpus*, *זמן* *tempus*, *כרינה* *provincia*, *בירה* *ara, sedes regia* et aliae plures, donec in posterioribus libris integrae pericopae Aramaica dialecto exaratae occurrunt. Utrum locorum etiam et regionum diversitas mutationibus originem dederit, seu variis *dialectis* Hebraicae linguae, certo definiti nequit. Argumenta quae afferri solent ad hoc demonstrandum satis solida non videntur. Quae enim afferuntur ex Evangelio Matth. XXVI, 73, ubi Petrus ad prunas sedens *ex loquela* se Galilaeum prodidit, et ex Actibus Apostolorum II, 7 et 8, ubi pariter ad Galilaeorum loquelam alluditur, vix ad rem pertinent. Non enim amplius agebatur de lingua Hebraica proprie dicta, sed potius de idiomate Syro-chaldaico, quo Palaestineses tunc vulgo utebantur. Et licet exinde posset utrumque inferri vel praesumi etiam antiquius, et in ipsa lingua Hebraica eandem diversitatem apud Galilaeos observatam fuisse, difficile esset demonstrare eam ad ipsius linguae naturam pertinuisse, et non tantum ad pronuntiationem, quod tantum citata loca innuere videntur: certe diversitas illa in voce *scibbolet* efferenda, quae occasionem vocis respicit. Mutationes quoque politicae, et religiosae nonnullas variationes in vocum significatione induxerunt, quarum exempla affert Iahnus ex Ernestio. Ita *ex. gr.* vox *נתנים* *dati, donati*, in Pentateucho *Levitas* designat (Num. III, 19, VII, 17 et 19), post tempora vero captivitatis sub chaldaica forma *נתנים* designat *mancipia* templo donata. Ita etiam vox *איים*, *אי* quae in Pentateucho *regionem maritimam* vel *oram*, imprimis maris mediterranei significat, deinceps adhibita est vel ad quamcumque remotam regionem designandam (verbi gr. Ps. LXXII, 10, XCVII, 1), vel

speciatim *insulam*, ut Esther X, 4, et alibi. Nec desunt exempla vocum Aegyptiacarum, Assyricarum, et Persicarum in posterioribus praesertim libris, ut eruditi viri notarant. Denique ex peculiari vel indole et cogitandi ratione, vel conditione et adiunctis uniuscuiusque auctoris quaedam propria et singularia occurrunt, ut ex. gr. in Libro Iob, in Ecclesiaste, in Daniele et in Ezechiele videre est (1). Quod pertinet in specie ad pericopas chaldaicas, praeter ea quae universae familiae Semiticae propria sunt, quaeque proinde ad eas etiam referuntur, notandum est, in iis attendendam esse peculiarem indolem dialecti Aramaicae. Differunt tamen a lingua paraphraseon chaldaicarum, ex quibus tantum paraphrasis seu Targum Onkelosi ad Chaldaismum Biblicum propius accedit, aliae vero recentiores ab eo non parum discedunt. Huius rei ratio repetenda est vel ab epochae diversitate, vel, ut alii suspicantur, ex influxu, quem lingua Hebraica Esdrae et Danieli familiaris in easdem pericopas ab eis scriptas exercuerit. Quamvis enim in iis plerumque referantur sermones, vel epistolae, aut decreta ex aula regum Babylonis profecta, potuerunt tamen Daniel et Esdras in iis referendis voces et stylum hebraico elemento paulisper immiscere, puta, ut a plebe Hebraeorum facilius intelligerentur. Nec est omitendum Massorethas per punctuationem hebraicam hisce partibus applicatam aliquam immutationem saltem in pronuntiatione, et in externo habitu verborum in easdem forte invexisse.

II. De indole Graecitatis N. T.

De hac re controversia extitit imprimis saeculo XVII praesertim inter Protestantes. Nonnulli enim, qui *puristae* dicti sunt, contendebant sermonem Graecum quo sacri libri exarati sunt purum et accuratum dicendum esse, alii ex adverso, qui *Hebraistae* vocabantur, asserebant eosdem libros a pura Graecitate longissime

(1) Plera dabant de indole hebraismi biblici eruditi philologi, qui hanc provinciam ex professo, uti aiunt, illustrarunt, cuiusmodi sunt ex. gr. inter antiquiores Guarinus in *Grammatica Hebraica*, Glassius in *Philologia Sacra*, Lowth in *Op. De sacra Poësi Hebraeorum*, et ex recentioribus imprimis Gesenius cum in *Grammatica Hebraica*. et in *Historia linguae Hebraicae*, tum in suo *Thes. Philolog. critico* eiusdem linguae. Legi quoque meretur supra laudatus Tractatus P. Finetti, *Della lingua Ebraica e sue affini*: nec non accurata et subtilis de hac re tractatio in Kohlgrüber *Hermeneutica biblica generali* §. 27-32 (pag. 42 seqq.).

distare propter Hebraismos, Aramaismos atque eterogenea elementa graecis vocabulis commixta. Ut fieri solet in huiusmodi controversiis, ex utraque parte exaggeratum est. Puristae enim pertinaciter negabant idiotismos Semiticos, collectis et corrasis undique exemplis auctorum Graecorum, praesertim Christianorum, et quidem sequioris aetatis, ut ostenderent omnes voces et phrases Sacrorum Scriptorum proprie graecas esse: non attendebant vero quod multa exempla ab ois adducta ad rem non pertinerent, alia possent ex eo explicari quod Christiani scriptores stylum Sacrae Scripturae aliquando imitati fuerint, pro multis denique vocabulis et phrasibus quae iis obiciebantur tamquam hebraici idiotismi, nulla prosus exempla, nullasque rationes ad eorum graecitatem defendendam afferre possent. Hebraistae etiam vicissim nimis faciles erant in excludenda graeca origine et indole multarum dictionum, quae optime defendi potuissent. Nunc inter omnes eruditos et criticos tum Catholicos tum Protestantes convenit linguam et stylum Graecum Librorum N. T. (idem plus minus dicendum est de libris deuterocanoniciis V. T.) nec classicam Graecitatem referre, nec ad ullam ex notis quatuor dialectis Graecorum revocari posse, sed peculiarem constituere dialectum quam *hebraeo-hellenisticam*, vel *hebraeo-Alexandrinam* appellare placuit. De huius dialecti indole ac proprietatibus multi multa scripserunt (1). Nobis satis erit hic pauca adotare. Duo sunt quae indolem graecitatis N. T. constituunt ac determinant: primum elementum, et quasi substratum est dialectus Graeca quae seriori aetate per imperium Macedonicum, ac imprimis in Alexandrina provincia, populari et communi usu vitae frequentabatur, « quae quidem Alexandrina dialectus, (inquit Schottius in Isagoge in Libros N. T. §. 23) ab antiquiori et classica Graecitate eo maxime differebat, partim quod quae olim diversis graecorum dialectis propria fuerant in orthographia, pronuntiatione, flexione nominum atque verborum, genere substantivorum, vocabulorum formis, singulisque vocibus, promi-

(1) Inter plures auctores qui hac de re scripserunt prae caeteris legi potest Theodorus Beelen in *Gramm. Graecitatis N. T.* quae ad normam grammaticae a Geor. Winero vulgatae exarata est, multis tamen auctoris eterodoxi opinionibus correctis, multisque aliis additis, aut in melius additis. Vide huius Operis praesertim Set. I.

scue adhibebat, partim haud pauca secundum analogiam recens formata usurpabat. » Hoc igitur est veluti fundamentum graecitatis Biblicae: siquidem Hagiographi et imprimis Apostoli graecam linguam, qualis in populo vernacula erat postquam Hebraei sub dominatione Macedonicam inciderant, usu didicerant. Verum huic graeco elemento alterum, et quidem varium ac multiplex, superinductum et immixtum fuit a nostris scriptoribus, idest: plures voces, phrases et constructiones verborum ex eterogeneis linguis mutatae, scilicet praecipue ex sermone Hebraico et Aramaico, tum etiam ex Rabbinica dialecto, immo ex lingua quoque latina, aegyptiaca et persica: quod quidem facile explicatur ex adiunctis in quibus Iudaei versabantur cum Apostoli suos libros conscripserunt. Horum omnium exempla accurate referunt recentiores multi biblici scriptores: hic sufficiat praecipua quaedam innuere. Ad *Hebraismos* et *aramaismos* pertinent imprimis voces bene nullae omnino hebraicae graecis literis expressae, uti sunt *αββα* (אבא), *ακιδάμα* (אקידאמא) *ager sanguinis, αλληλοισα* (αλληλοισα) *laudate Deum, βοανεργες* (βοανεργες) *fili tonitruī* (Μαρ. ΙΙΙ, 17), *Μεσσιος* (Μεσσιος) *Unctus, βααα* (βααα) *homo vanus, despiciabilis, Ταλιθα κουμι* (Ταλιθα κουμι) *Puella surge*, (Μαρ. V, 41), *εργαδια* *adaperire* (Μαρ. VII, 34), item notae voces *amen, hosanna* et aliae nonnullae. Deinde vero attendenda sunt formae grammaticae, et loquendi modi ex lingua hebraica vel omnino, vel saltem in eo sensu quo adhibentur derivatae. Huiusmodi sunt ex. gr. *δωδεκα* pro *duodecim* (Act. XIX, 7); *εγκαινια encaenia* (Io. X, 22), et *εγκαινιζειν encaeniare* (Hebr. IX, 18); *προσωπον λαμβανειν, accipere faciem*, idest respicere personam (Luc. XX, 21.), et *προσωποληπθειν* (Iac. II, 9); *υιος ειρηνης filius pacis* Luc. X, 6 pro homine pacifico; *ποιειν ελεος* (χαριμ) *μετα τινος facere misericordiam cum aliquo; αποκρινεσθαι respondere* (αποκρινη) ubi nulla interrogatio praecessit: *ζηθειν την ψυχην τινος quaerere animam alicuius* (Math. II, 20); *γενεσθαι θανατου gustare mortem* (Math. XVI, 28); *περυσθαι ambulare* in sensu morali; *εξομολογεσθαι confiteri* cum dativo pro *laudare*, et alia plura. Huc pertinet etiam usus particulae et (אם) in formula iurandi Iud. I, 12. Mar. VIII, 12; superlativum expressum per praepositionem εν sequente dativo, ex. gr. Eccli. XI, 3,

Luc. I, 28; adverbium *rursus, iterum* expressum per verbum *προσθενει* *apponere* constructum cum verbo sequente, et alia huiusmodi. Ad *Rabbinismos* pertinet frequens dictio *αροξ και αιμα, caro et sanguis*, per homine in genere, vel pro affectibus humanis, praesertim mundanis et carnalibus; *παροκλησις του Ισραηλ, consolatio Israel* Luc. II, 23 pro Messia; *κωνη κτισις, nona creatura* Gal. VI, 15: item ratio citandi libros vel Sectiones V. T. ex usu doctorum Iudaicorum, et Synagogarum desumptus est, ut Mar. II, 24 επι Αβιαθαρ, idest, I. Regum XXI, XXII; Mar. XII, 26 επι τας βατων, idest, Exodi III, 2 et seqq.; Rom. XI, 2 εν Ηλια idest 3 Regum XIX, 40 seqq.; in Epistolis Pauli, qui Pharisaeorum sectae addictus fuerat, multa observantur praesertim in ratione argumentandi ex textibus Scripturae, quae ad Rabbinorum usum referri possunt. Ad Latinismos pertinent imprimis multae voces omnino Latinae in Graecum Textum assumptae ex. gr. *δηναριον denarius, κεντυριον centurio, κηισος census* (Math. XVII, 25), *κοδραντις, quadrans*, seu quarta pars assis Math. V, 26, *κουστωδια custodia* Math. XXVII, 65, *κολωνια colonia* Act. XVI, 12, *λεντιον linteam* Io. XIII, 4, *σουδαριον* Act. XIX, 12, *σπεκουλατωρ, spiculator*, a *spiculo*, quod gerebat Mar. VI, 27, *τιτλος titulus*, inscriptio, Io. XIX, 19, *οραγγελιον flagellum* et *γραγγελειν flagellare* Math. XXVII, 26 Io. II, 15. Praeterea integrae phrases seu loquendi modi ex lingua latina desumpti occurrunt, ut: *συμβουλιον λαβειν consilium capere* Matt. XII, 14; *ικωνοι ποιειν το οχλωσας facere populo* Mar. XV, 15; *εργασιαν δουναι operam dare* Luc. XII, 58, et alia huiusmodi. Ad *Persicas* voces referri solent: *αγγαρειν angariare*, seu cogere ad opus Math. V, 41, XVI, 32, al., *γασα gaza* Act. VIII, 27 pro thesauro, unde vox persico-graeca *γασοφυλακιον gazophylacium*, idest aerarium Marc. XII, 41, *μαγος magus*, et *μαγευειν* magicam artem exercere Math. II, 1. Act. VIII, 9, *παράδεισος paradisos* Luc. XXIII, 43. Ad *Aegyptiacam* linguam nonnulli referunt sequentes voces: *βατον ramus palmae* I Mach. XIII, 51, Io. XII, 13, *οθονιον linteam sepulchrale* Io. XIX, 40, *σινδων sindon* Math. XXVII, 59. *Arabicas* voces et phrases in graeco Scripturae Textu inveniri contendunt Michaels et Boltinius, quae videri possunt simul collectae in A. Arigleri Hermenenti-

tica §. 40; sed plerisque eruditis incerta videntur. Et haec sufficiant de indole usus loquendi originarii Sacrae Scripturae.

§. II. De valore et usu notitiae linguarum originalium in Hermeneutica Biblica.

In hac quaestione media via incedendum est inter duas contrarias et extremas opiniones, eorum scilicet qui linguarum scientiam, eiusque usum aut interdicerere volunt in Scripturae studio, aut nimis parvi pendunt, et eorum qui totam fere Hermeneuticam ab hoc studio seu a philologica eruditione pendere autumant. Primam opinionem sectati sunt quidam ex antiquioribus Theologis, alteram passim inculcant recentiores exegetae qui rationalismi placitis imbuti sunt, et nonnulli ex catholicis liberioris scholae imprimis Io. Iahnus. Inter eos qui primam opinionem defendebant nonnulli eoque progressi sunt ut dicerent post declarationem concilii Tridentini de authenticitate Vulgatae Latinae non amplius licere ad linguas et textus Scripturae originales confugere in Scripturis interpretandis, sed unice Latinae Vulgatae adhaerendum esse, praesertim cum textus ipsi, saltem Hebraicus et Chaldaicus, iuxta eorum opinionem interpolati et corrupti ad nos pervenerint. De hac exaggerata et superstitiosa sententia nihil dicemus, tum quia hodie obsoleta est, et nullos habet fautores, tum quia nonnulla contra eam pro data occasione disputavimus in Introductione Critica Par. I, Sect. II, ubi de valore et authenticitate Vulgatae Latinae agebatur. Alii vero quamvis concederent studium linguarum Biblicarum licitum esse, inutile tamen existimabant, eo quod versionem latinam una cum sacrorum Doctorum commentariis ad omnes usus interpretum abunde sufficere arbitrarentur. Contra istos potissimum utilitatem Biblicae philologiae defendendam suscipimus, ita tamen ut ab excessu et abusu recentiorum philologorum apprime caveamus, de quorum sententia proposuimus seorsim tractare in appendice Sectionis II huius partis ubi agemus de supremo Hermeneutices biblicae principio. Interim sequentem thesım demonstrare aggredimur.

THESIS IX.

Studium linguarum et Textuum originalium Sacrae Scripturae omnibus quidem sacrarum scientiarum cultoribus utile est, iis vero qui Scripturas profundius intelligere, et adversus impugantes vindicare satagunt, sub aliquo respectu etiam necessarium.

Si Scriptura in suis originariis linguis tantummodo ad nos pervenisset, inutile esset quaerere de utilitate studii et scientiae earundem linguarum: tunc enim studium huiusmodi unica via esset ad Scripturarum intelligentiam perveniendi. Verum cum tot existant translationes, seu versiones eiusdem Scripturae in variis linguis, ac imprimis latina Vulgata versio generali Ecclesiae usu, et solenni iudicio approbata, non immerito quaestio institui potest, utram adhuc utile, aut necessarium sit interpretibus ac Theologis linguas illas ac textus primigenios discere, et consulere. Respondimus autem id universim quidem Theologiae studiosis utile esse, pro quibusdam autem relative necessarium. Quod ut recte intelligatur distinguimus duas classes expositorum S. Scripturae, et duo expositionis genera. Sunt enim qui Scripturas meditantur ad suam tantum et aliorum aedificationem, iique moralem potius et mysticam sequuntur expositionem, omni contentione, ac subtili disputatione seposita, ut in homilii et pastoralibus concionibus ad plebem fidelium fieri solet. His itaque linguarum biblicarum scientia saepe utilitatem afferre potest, eorumque expositiones accuratores aliquando reddere: coeterum tamen philologica ista eruditione sine periculo carere possunt. Idem quoque de iis dicendum est, qui mediocri et communi theologiae scientia contenti sunt, et ad eam sibi comparandam Scripturarum testimonia ex versionibus depromunt. Alii vero sunt quibus officium incumbit Scripturas docte et profunde exponendi, ratione habita omnium incurantium difficultatum, quae in ipsa Scriptura passim sese offerunt, et traditas interpretationes non solum dictis lectoribus persuadendi, sed etiam adversus cavillationes adversariorum sive Protestantium sive incredulorum defendendi ac vindicandi. Pro his itaque dicimus non tam

utilem quam necessariam esse, nostra praesertim aetate, sacram philologiam, ut rite muneri suo satisfacere possint: idque demonstramus tum ex testimoniis et praxi Ecclesiae Doctorum, tum ex rationibus intrinsicis et ex rei natura petitis.

Arg. I. Ex testimoniis et praxi Sacrorum Doctorum.

Ex multis pauca indicasse sufficiat. Omissis Apostolicis Patribus, quorum multi Orientales erant et Hebraicam linguam noverant, omnes autem graecam Scripturam legebant, Iustinus M. adv. Tripsonem Iudaeum saepe ad versionem Aquilae Hebraei textui hebraico superstitiose adhaerentem appellat, ut veritatem interpretationis τὸν LXX confirmet: Origenes, teste Eusebio, non solum in Graecis versionibus perquirendis et conferendis diligentissimus fuit, sed ad studia Scripturarum « linguam etiam hebraicam studiose didicit » quod etiam ex fragmentis eius Hexaplorum luculenter apparet: Eusebius ipse in Lib. X. Praep. Evang. ad Hebraicas voces passim recurrit ad Scripturarum sensum uberius declarandum et firmiter stabiliendum; qui etiam ibidem hoc nomine laudat Antiochenum doctorem Dorotheum: « hic, inquit, in Sacris Literis exquisite eruditus fuit; linguae Hebraicae diligenter navavit operam, adeo ut Scripturas hebraicas scienter posset intelligere: hunc nos Scripturas in Ecclesia non incommode explicantem audivimus. » Idem testatur de Luciano M. Nicetas Heracliensis in Prooem. in Psalt. Quarto Ecclesiae saeculo S. Hilarius contra Arianos disputans profitetur se graecum textum, graecosque codices cum latinis contulisse ad catholicam veritatem aptius defendendam, quemadmodum ex ipsa lectione eius operis de Trinitate apparet. S. Ephrem pariter in difficultioribus V. T. locis interpretandis ad hebraicas voces frequentissime appellat. Quid autem dicemus de Hieronymo, qui ob philologicam eruditionem ab omnibus celebratus, ac coeteris aptior visus est cui et veteris latinae versionis emendatio, et nova ex hebraeo V. T. translatio committeretur? Ipse in pluribus epistolis et praefationibus testatur tum de suis laboribus in linguis biblicis addiscendis, tum de utilitate quae ex hac notitia omnes interpretes, ac universa Ecclesia percipere potest. Vide praesertim Praefationes duas in Libros Paralipomenon ad Dominionem et Rogationem, nec non Praefationem in Esdras et Nehemiam ad eosdem; in Epistola autem ad Paulam ita paucis

hanc rem perstringit: « Deus ipse mihi mercedem restitnat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinae linguae (hebraicae) eruditione sudasse, ne Iudaei de falsitate Scripturarum Ecclesiae eius diutius insultarent. » Ipse S. Augustinus, quamvis hebraicae linguae ignarus, et in Graecae studio mediocriter versatus, earum tamen notitiam tamquam utilem et aliquatenus necessariam Scripturarum expositoribus in multis locis praedicat imprimis vero Lib. II, De Doctrina Christ. Cap. XI, ubi disputans de obscuris vel ignotis vocibus et phrasibus quae in latina Scripturae versione passim occurrunt: « Contra ignota signa propria, inquit, magnum remedium est linguarum cognitio, et latinae quidem homines linguae, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. » Quod deinceps exemplis et argumentis illustrat. Mittimus aliorum Patrum testimonia et exempla, ut Iohannis Chrisostomi, Epiphani, Theodreti, Isidori, Cassiodori, cuius insigne est testimonium in Cap. XV de divinis lectionibus, Bedae Presbyteri, qui trium linguarum hebraicae graecae et latinae notitiam, propter obscuritatem Sacrarum Scripturarum necessariam esse affirmet: « ut, inquit, ad alteram recurratur, dum si quam dubitationem nominis vel interpretationis sermo unius linguae attulerit: » mittimus etiam posteriores doctores Aleuinum, Rabbannum Maurum, Humbertum Cardinalem, Rupertum Abbatem, Euthymium Zigabenum, S. Bonaventuram, Nicholaum Lyranum aliosque scholasticos Doctores, qui idiomatis vel graeci, vel hebraici, vel utriusque gnari fuerunt, eorumque notitia in Scripturis exponendis usi sunt. Sed imprimis ad rem nostram facit auctoritas Romanorum Pontificum, et Conciliorum in studiis linguarum biblicarum commendandis et promovendis. Clemens PP. V praecedentium Pontificum et Doctorum exempla sequutus est Concilio Viennensi decretum de linguarum Hebraicae, Arabicae, et Chaldaicae studiis edidit, quod postea inter Clementinas relatum est tit. I. De Magistris. In hoc decreto praecipit Summus Pontifex, Sacro approbante Concilio « scholas in subscriptarum linguarum gentibus ubicumque Romanam Curiam residere contingat, nec non in Parisiensi, et Oxoniensi, et Bononiensi, et Salamantino studiis pro-

vidimus erigendas, statuente, inquit, ut in quolibet locorum ipsorum teneantur viri catholici sufficientem habentes Hebraicae, Arabicae et Chaldaeae linguarum notitiam, duo videlicet uniuscuiusque periti, qui scholas regant inibi, et libros de linguis ipsis in latinum fideliter transferentes alios linguas ipsas sollicite doceant. » Ex hoc tempore Catholici Theologi ardentius in studia linguarum biblicarum incubuere: quibus animum et stimulos addiderunt subsequentes Romani Pontifices, Leo X, sub cuius auspiciis prodit polyglotta editio Sacrae Scripturae a Card. Ximenes curata, Gregorius XIII, qui in variis constitutionibus ad nova clericorum collegia erigenda speciale mentionem de graecis hebraicisque literis ingerit, Paulus V qui in omnibus Regularium Ordinum scholis mandavit ut aliqui essent « Linguarum Hebraeae, Graecae et Latinae, in maioribus vero et celebrioribus etiam Arabicae doctores; » Clemens XI qui haec studia tum verbis, tum factis egregie fovit, ut nihil dicamus de posterioribus postremis summis Pontificibus. Hisce addi possent etiam fundatores vel reformatores religiosorum ordinum, quorum in hac re eximia semper fuerunt merita: S. Raimundus a Pennafort suis fratribus Praedicatoribus praedictarum linguarum studium iniunxit, generale Capitulum Romanum Fratrum Minorum anno 1612, et capitulum Toletanum 1633, et alterum 1682 linguarum Hebraicae, Arabicae et Graecae studium praecipit. S. Ignatius Lojola in suis constitutionibus Societatis Iesu idem iniungit; idem etiam praecipit constitutiones Ordinis Fratrum Servorum B. M. V. Quae exempla et testimonia, coeteris etiam omissis, ad nostram propositionem firmandam sufficerent.

Arg. II. Ex internis rationibus petitum.

Inutile esset hic rationes afferre ad generalem utilitatem linguarum biblicarum ostendendam, praesertim post ea quae superius dicta sunt de Sanctorum Patrum Ecclesiaeque usu. Itaque potius alteram Theses partem confirmabimus, quae relativam scientiae linguarum biblicarum necessitatem pro doctoribus et expositoribus Sacrae Scripturae respicit. Ita porro de his argumentari licet. Officium perfecti expositoris Sacrae Scripturae, et Catholici doctoris duplex est: Scripturas scilicet docte et profunde interpretari, et catholicas interpretationes, ipsarumque Scripturarum auctoritatem adversus haereticorum vel incredulorum cavillationes tueri.

Imvero ad utrumque officium recte ac utiliter implendum requiritur notitia linguarum biblicarum.

1° Requiritur ad profundiores Scripturae intelligentiam. Et sane: tunc tantum inutilis aut minus necessaria esset dicenda linguarum originalium cognitio si versiones Scripturae, quibus utimur, in omnibus prorsus et perfectissime textum originarium repraesentarent, ita ut idem prorsus esset sive textum sive versionem consulere. Sed hoc longe a veritate abest. Nulla enim versio est, nec ipsa Vulgata latina, quae textum originarium tam perfecte et adaequate repraesentet. Qui igitur vult perfecte et adaequate sensum Scripturae in omnibus intelligere, et aliis exponere oportet ut ad fontes originarios aliquando confugiat, ut in iis melius intelligat quod in versionibus obscure, aut minus perfecte positum est. Quod autem ita se habeant versiones cum textu comparatae facile probari potest cum a priori, tum a posteriori et ex facto ipso. Et 1° quidem veluti *a priori*, seu ex ipsa natura versionis in genere consideratae. Omnes enim sciunt unamquamque linguam suas proprietates habere et proprios loquendi modos, qui non possunt semper in aliam linguam commode transferri, idque praesertim cum de linguis agitur diversarum familiarum ac diversae omnino indolis, quemadmodum certe sunt linguae Hebraica, Chaldaica et Graeca biblica comparatae cum Latina aliisque nostris Occidentibus. Fit enim saepissime ut interpres cogatur aut idiotismos linguae originalis conservare, seu verbatim reddere, et tunc obscurus evadit, vel circumlocutionibus uti, atque ita vim et energiam originalis textus extenuat. Hinc igitur fit ut versiones non possint esse undequaque perfectae, etiam si supponamus interpretes maxima scientia praeditos, summa diligentia usos, ac moraliter veluti infallibiles fuisse, quemadmodum ex gr. dici potest de graeco interprete libri Ecclesiastici, et de S. Hieronymo in versione V. T.; qui tamen ambo fassi sunt difficultatem imo impossibilitatem perfecte reddendi et transfundendi in versionem totam vim verborum originalium. Quid autem dicemus, si etiam dubitare aliquando liceat de interpretis sive scientia, sive attentione, sive studio! Quae certe semper et in omnibus locis perfecta fuisse humana fragilitas credere non permittit. 2° vero *a posteriori*, seu ex ipsa versionum quae extant consideratione idem ostendi potest. *Primo* enim versiones

saepe saepius inter se discrepant in uno eodemque loco reddendo: cum autem omnes simul verae esse nequeant oportet ut aliqua ex illis minus recte textum originale reddiderint. Quomodo autem iudicabit theologus et interpres quanam versio sit praefenda, nisi ipsum textum adeat, iuxta monitum Augustini superius allegatum? Neque iuvat reponere in conflictu versionum semper praefendam esse Vulgatam latinam iuxta Concilii Tridentini decretum: siquidem, ut alias ostendimus, vi illius decreti Vulgata latina non fuit praeposita omnibus aliis versionibus indiscriminatim, sed tantum latinis quae tunc temporis circumferabantur. Praeterea ibidem ostendimus approbationem illam non esse ita stricte accipiendam ac si Vulgata ipsa ab omnibus prorsus defectibus immunis et omnibus numeris absoluta declarata fuerit. *Secundo* plura exempla ex versionibus et ipsa Vulgata latina afferri possunt ad confirmandam veritatem eorum quae diximus. Sive enim ex linguae vitio et imperfectione; sive alia de causa plura occurrunt *obscura*, quaedam *ambigua*, quaedam *enervata* si cum textibus originalibus comparetur. Obscura loca passim offenduntur in versione Prophetarum, in libris Sapientialibus, et praecipue in libro Psalmorum. Quis enim ex gr. obscuram non reputabit descriptionem quatuor animalium Ezech. I, 5, 25 ubi *pennae* ponuntur pro alis, *pedes* pro crucibus, *vox quatuor* in fine incisus, quae ambiguitatem praesert, quae omnia ex lectione textus Hebraici clariora sunt? Quis non haesitabit in illis verbis Eocli. LI, 13: « Et pro morte defluente deprecatus sum? » Quis clarum dixerit quod in Ps. CXXI legitur de Hierusalem: « quae aedificatur ut civitas cuius participatio eius in idipsum? » Aut quod legitur in Ps. LXXIII: « Posuerunt signa sua signa, et non cognoverunt sicut in exitu super summum? » vel illud Ps. XVI: « Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum? » Aut illud Ps. XX: « quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis praeparabis cultum eorum? » Et alia satis multa non minus obscura quae legentium et psallentium ingenium torquere solent. Ad loca *ambigua* ex defectu latinae linguae pertinent ex. gr. illud quod legitur in Ps. CLX: « Tecum principium in die virtutis tuae, » ubi vox *principium* non initium significat, sed principatum, vel potentiam; item illud Ps. CXXVI: « Sicut sagittae in manu potentis ita

fili *excussorum* » quae postrema vox latina potest accipi sive active, sive passive, textum tamen הַעֲקוּרִים et graeca versio των LXX (ἐκτεταγμένων) docent passive accipiendum esse. Item illud Ps. CXXXVIII: « Non est occultatum os meum a te » quod potest esse vel os oris, vel os ossis, quod alterum omnino tenendum esse indicat originaria vox hebraica אֶפְתָּח et graeca των LXX τὸ ὄστος μου: item in cantico Zachariae Luc. I, 78 vox *Oriens* non est participium verbi *orior* quasi Deo tributum, sed est substantivum, id est, *sol Oriens*, nam in graeco textu nullum est participium, sed nomen ἀνατολή; quemadmodum etiam in cantico B. M. V. ubi legitur « dispersit superbos mente cordis sui » illud *sui* referri posset vel ad Deum, vel ad superbos, quod tamen alterum docet graecus textus διασείρα καρδίας αὐτῶν. Item dicas de verbis Ps. CXI, 2: « generatio *rektorum* benedicetur » et de aliis plurimis quae in Vulgata quidem *ambigua* sunt, in textu autem sive Hebraico sive Graeco certa ac definita. Denique plura exempla ex ipsa Vulgata afferri possunt in quibus *vis et energia* verborum originalium plus minus enervata vel extenuata apparet. Ita ex. gr. Gen. I, 2 ubi Vulgata legit: « Spiritus Dei *ferrebatur* super aquas, » in textu habetur vox מְרַחֶפֶת quae, teste ipso Hieronymo, melius verti posset *incubabat*, scilicet more avium quae incubando ova foecundant, quod multo pulchriorem et profundiorum efficeret sensum: ita etiam ibidem v. 3 creatio lucis multo efficacius et elegantius sonat in textu per verbum substantivum הָיָה quam in versione per verbum *fieri*: ita quoque celebre vaticinium Isaiae de Virgine paritura Emanuelem maiorem vim praesert in textu hebraico ubi loco formae futurae *concepit*, *pariet* habentur duo participia praesentia voci הַעֲלֶמָה apposita, scilicet יָלְדָה *virgo pregnans et pariens*. In canticis vero aliisque partibus poeticis id plerumque fit. Accedunt ea loca in quibus textus Hebraicus habet nomen Dei tetragrammaton יהוה quod non semper in Vulgata latina redditur per *Deum*, sed aliquando per *Dominum*, tamquam si esset vox אֱלֹהִים, et tamen valde interest scire utrum ex illis nominibus adhibitum sit; primum enim est nomen Dei proprium, et nunquam nisi de Deo usurpatur, alterum etiam ad creaturas passim extenditur: hinc vaticinia Prophetarum ex. gr. Jer. XXIII, 6 quae primum illud nomen Messiae tribuunt, apodic-

ticum praebet argumentum pro Christi divinitate si accipiantur in textu, si vero afferantur secundum Vulgatam, ubi vox *Dominus* recurrit minorem probandi vim habet. Huc etiam pertinent omnia illa loca, in quibus sacer Scriptor ex nominum etymologia, vel ex alliteratione rem aliquam illustrat, aut ostendit: cum enim eadem ratio verborum et radicum non inveniatur in aliis linguis, ex. gr. in Latina, necesse est ut Hebraicam linguam vel Graecam ignorantibus eadem loca in versionibus obscura aut prorsus intelligibilia videantur: ut ex. gr. cum Gen. IV, 1 Heva dicitur filium suum appellasse *Cain* quia, inquit: « *posse* *hominem* per Deum, » alium vero filium vocasse *Seth* quia: « *posuit*, inquit, *mibi* *Deus* *semen* *aliud* *pro* *Abel*. » Idem postea dicitur factum de Abramo cui Deus nomen mutavit in *Abraham* eo quod futurus esset *pater* *multarum* *gentium*, item nomen Iacob in *Israel* post luctam quam habuit cum Angelo, et ita de aliis multis: Ieremias in principio prophetiae suae I, 11 dicit se in visione vidisse *virgam* *vigilantem*, cui Deus respondet: « bene vidisti, quia *vigilabo* *ego* *super* *verbo* *meo* *ut* *faciam* *illud*: » quid sit *virga* *vigilans* in Latina lingua intelligi non potest, sed cessat difficultas in hebraico textu, ubi vox קִנְוָה significat *amygdalam* et simul *vigilantem*: cum igitur propheta, *virgam* seu ramusculum illius arboris vidisset, Deus alludens ad alteram significationem vocis occasionem sumit ea verba subiungendi quae modo allata sunt. Huiusmodi allusiones et verborum lus frequentissimi sunt in Prophetis; quorum exempla suppeditat etiam historia Susannae, ubi Daniel seniores illos confundere volens, ex nominibus arborum, sub quibus singuli dicebant se vidisse Susannam colloquentem cum sociis, occasionem sumit divinum iudicium eis comminandi, et praedicendi Dan. XIII, 84 seq. 38 seq. Tertio denique plures versiones non omnino incorruptae ad nos pervenerunt, imo in rebus levioris momenti omnes plus minus immutationem subierunt, ut imprimis factum novimus in versione graeca LXX , nec ab iis prorsus immunis evasit ipsa Vulgata latina. Ex hisce omnibus apparet necessitas consulendi atque ideo intelligendi originarios Scripturae textus, iuxta sensum in Thesi expositum.

2^o Sed concedamus parumper versiones esse perfectissimas, et ita adaequatas ut inutile esset textum adire ad sensum Scripturae

melius intelligendum. Etiam admissa hac hypothesis, adhuc maneret necessitas notitiae linguarum biblicarum pro iis doctoribus ac theologis de quibus loquimur. Attendendum est enim alterum eorum officium vindicandi et defendendi contra adversarios Scripturam, eiusque catholicam interpretationem. Quomodo enim id praestabit theologus et interpres sine linguarum scientia, cum ex hac potissimum recentiores haeretici et rationalistae pugnare soleant, et in philologia suum veluti palladium constituent? Nec dicas defectum philologicae eruditionis suppleri commode posse per tot viro- rum doctorum expositiones, et commentarios, in quibus difficultates ex philologia petita solutae inveniuntur. Qui enim hoc diceret non attenderet 1^o) argumentum iam supponere veritatem nostrae Theseos, seu utilitatem ac necessitatem linguarum biblicarum: nisi enim eas probe calluissent docti illi ad quos confugiunt nunquam potuissent philologicas difficultates tam recte expendere ac ventilare; 2^o) in commentariis non semper omnia quae opus sunt inveniri: multa enim saepe inobservata et intacta praetereant, multa etiam a recentioribus adversariis nova et speciosa prolata sunt quorum ratio ab antiquioribus haberi non poterat: demum commentatores in difficultatibus solvendis saepe non consentiunt, alii enim alias responsiones proponunt: quomodo autem iudicabit Theologus quanam responsio vera sit, aut quanam caeteris aptior ad satisfaciendum adversariis, nisi earum fundamenta expendere possit, quod in hypothesis facere nequit qui linguarum scientia caret? 3^o) Tandem quaecumque supponatur commentatorum peritia, et etiamsi omnes consentirent, nihilominus tamen perfecti Theologi ac doctoris est propriis armis pugnare, non alienis, quae ipse tractare nesciat; aliorum enim responsiones ex philologia desumptas qui linguarum ignarus est, nec recte intelligere, nec ab adversariorum difficultatibus, qui certe iis non acquiescent expedire poterit.

At enim, inquit, hisce omnibus obstat exemplum Sanctorum Patrum et Doctorum Scholasticorum. Hi enim ut plurimum Hebraicae et Graecae linguae notitia carebant, et tamen optimi fuerunt interpretes, quos duces et magistros sequi debemus in Scripturarum expositione.

Haec obiectio, quae prima fronte gravissima videri posset, fa-

cile tamen solvitur si haec pauca animadvertantur. 1^a) Veterum Doctorum in re philologica ignorantia non est plus aequo extendenda. Ut enim nihil dicamus de notitia Graecae linguae, quam omnes certe Graeci Patres, et fere omnes Latini plus minusve callebant, ut ex eorum scriptis apparet, etiam Linguae Hebraicae notitia pluribus ex illis tribuenda est, et saepe etiam profunda et exquisita: horum nomina superius dedimus, quibus nunc addere possemus caeteros Orientales Patres, nempe Syros, Chaldaeos, Arabes quibus ob linguarum affinitatem indoles Hebraicae linguae apprime nota erat. Quinimo inter Latinos Africani Doctores, licet se ignorare linguam Hebraicam fateantur, tamen ob notitiam linguae Punicae, quae adhuc vernacula erat, et ab Hebraica parum distabat, aptissimi erant ad iudicium ferendum etiam de Hebraicis vocibus, ut ex. gr. apparet ex facto S. Augustini. 2^a) Recolendum est nos necessitatem linguarum originalium defendere non omnino absolute, sed potius relative ad quasdam personas, et ad quaedam certa adiuncta. Iamvero Patres et Doctores in adiunctis omnino diversis a nostris versabantur. Imprimis enim quo proximiores erant aetati Sacrorum Scriptorum eo maiora subsidia in promptu habebant, quibus facilius possent eorum sensum intelligere: deinde non eosdem ac nos habebant adversarios, qui nempe magno eruditionis philologicae apparatus adversus Scripturas et fidem Catholicam pugnant: veteres enim haeretici ad haec subsidia vix unquam confugebant. Haec autem multo magis valent de Scholasticis Doctoribus, qui, seposita eruditione, theologiam scientiam iuxta philosophiae peripateticae principia ac methodum pertractabant, item iuxta conditionem illius aetatis, eorumque adversariorum. 3^a) Denique cum debita ipsis Patribus et Doctoribus reverentia responderi posset plures ex eis meliores futuros fuisse interpretes si hebraice scriissent, ut patet vel ex uno exemplo S. Hieronymi cum plerisque aliis latinis comparati: hinc S. Augustinus saepe dolebat se hebraicarum literarum studio operam non dedisse, eaque potissimum de causa coactus est commentarium literalem in Genesim imperfectum relinquere (1).

(1) Haec copiosius tractata inveniuntur in egregio opusculo Io. Bern. De Rossi: *De praecipuis causis et momentis neglectae a nonnullis hebraicarum litterarum disciplinae*, Aug. Taur. 1769 praesertim Capp. VI et IX.

S. III. De ratione addiscendi et certo determinandi originarium Sacrorum Scriptorum loquendi usum.

Propositum nobis est in hoc paragrapho summa quaedam criteria tradere de studio linguarum biblicarum, minime vero regulas practicas et speciales proponere quas philologus et grammaticus docendas relinquitur. Seorsim vero dicemus primum de usu loquendi Hebraico, deinde de Graeco Sacrae Scripturae.

I. Lingua Hebraica (idemque fere de Chaldaica biblica intellige) cum a viginti tribus et amplius saeculis demortua sit non potest ex familiaritate cum iis qui eam loquuntur edisci, ideoque ad ea media confugiendum est ex quibus in Articulo I diximus linguarum antiquarum notitiam petendam esse. Recolendum est igitur media illa alia esse externa et positiva, alia vero interna et philosophica; primi autem generis media praecipuo loco habenda esse et proprie fontes notitiae usus loquendi appellari, alterius vero generis, seu interna media, secundaria esse, et potius quam fontes appellanda esse subsidia ad pleniorum et clariorem linguae notitiam sibi comparanda. Huiusmodi criterium eo magis necessarium est cum agitur de Hebraica lingua, quo magis perniciosi essent errores ex contraria methodo derivati, qui non tantum philologici, sed saepe theologici essent. Quod quidem confirmatur ex facto illorum recentiorum qui nimis in hac re concesserunt internis adiumentis, non satis attenta aut etiam neglecta traditione et Veterum testimonio, ut accidit, ex. gr. aliquando Schultensio et Ewaldo (1). His igitur positis, superest tantum aliquid dicendum in specie de

(1) Sciendum enim est philologos in variis scholis divisos esse circa studium hebraicae linguae. Alii enim sequuntur scholam empiricam et traditionalem, ut videre est apud antiquiores omnes; alii ex adverso methodum rationalem interno linguae examini, seu etymologiae et analogiae studio praecipue innixam, ut saeculo elapso Gussetus, Neuman et Loescher, nuper vero Ewaldus: alii methodum harmonicam, quae etiam schola Belgica dicitur ab Alberto Schultens fundata, quae praecipue comparationi dialectorum, imprimis Arabicarum, insistit: alii denum methodum empiricam temperatam, seu mixtam, quae profitetur omnia media eum externa tum interna simul adhibere, et amice foedere coniungere; quam scholam, inter recentiores praesertant potissimum W. Gesenius et Iul. Fürstius. Evidens est postremo hanc methodum non solum veram, sed perfectam esse, dummodo tamen in praxi promissa teneantur, et monumentorum ac traditionis semper debita ratio habeatur.

fontibus illis et subsidiis quatenus ad Hebraicam linguam pertinent. Ad fontes quod attinet ii possunt ad sequentes revocari. *Directi* fontes nulli sunt praeter libros ipsos V. T.: tota enim literatura rabbinico-hebraica, non exclusa Misna Talmudis ad aetatem pertinet longe posteriorem lato hebraicae linguae. Fontes vero *indirecti* seu *mediati* qui domesticam traditionem in scholis Iudaicis conservatam repraesentant, sunt praecipue: antiquae versiones, codices Talmudici et Midraschici, libri grammaticorum et exegetarum Iudaicorum, Masora, et denique Christiani Doctores qui linguae notitiam a Iudaeorum magistris hauserant, ut sunt imprimis Origenes et Hieronymus. De his pauca notanda sunt. 1° Ex antiquis *versionibus* hic tantum versiones immediatae spectandae sunt, uti patet: in his vero principem locum tenet versio Alexandrina, quae ad tempus vivae linguae Hebraicae propius accedit. Succedunt fragmenta graecarum versionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis et caeterarum hexaplarium de quibus alias disseroimus, quaeque a viris linguae Hebraicae peritis immediate ex Hebraico textu concinnatae fuerunt, et vim originalium verborum fideliter plerumque reddunt. His accedunt paraphrases chaldaicae Targumin dictae, imprimis Targum Onkelos in Pentateuchum, quod Christi aetate antiquius creditur, et Targum Jonathanis in Prophetas, quod priori proxime accedit sive aetate, sive fidelitate in sensu verborum reddendo. Has excipit versio Syriaca simplex seu Phscito, et versio Hieronymiana, quae et antiquissima sunt et a viris veteris hebraismi peritissimis confectae. Reliquae versiones alias laudatae cum partim mediate sint, partim nimis recentes vix ullum in re nostra usum habent. Versiones autem illae superius memoratae multa quidem suppeditant de usu loquendi hebraico, non tamen omnia, nec eum adequate repraesentant ob rationes in articulo I traditas, quibus etiam addi possunt, quae de versionum defectibus in paragrapho praecedente dicta sunt. 2° Quod pertinet ad codices Talmudicos et Midraschicos, hoc nomine intelligimus utrumque *Talmudem*, Hierosolymitanum et Babylonicum, et *Midraschim*, seu expositiones allegoricas a Iudaeorum doctoribus vulgatas. In hisce operibus passim occurrunt explicatae voces hebraici textus, imprimis Pentateuchi. Quae tamen cum ob linguae obscuritatem, qua et ipsa exarata sunt, tum ob rerum inopiam quae ad rem

grammaticam et lexicalem pertinent, nonnisi exiguum emolumentum afferre possunt. 3° *Grammatici* et *exegetae* Hebraeorum magno usui esse possunt cum et formarum doctrinam, et lexicographiam satis apte illustraverint ex intima linguae hebraicae cognitionem per traditionem accepta. Obstat tamen quod omnes recentiores sint, et qui ex eis antiquiores habentur ab Arabum magistris, quos duces sequuti sunt, nimis pendeant: celebriores nobisque utiliores ex hoc auctorum genere sunt David Kimchi, et Elias Levita. Exegetae autem Iudaeorum a saeculo XI usque ad XVI floruerunt quorum praecipui sunt, praeter laudatum Kimchi, Aben-Ezra, Salomon Iarchi, Isaac Abarbanel et Salomon Ben-Melech. Hi omnes tamen non semper tutam praebent normam, cum aliquando coniecturis indulgeant aut superstitionis et praeconcepitis opinionibus ducti a sensu traditionali recedant: generatim tamen inspecti, ob singularem linguae Hebraicae et dialectorum affinitatem peritiam, nec non ob conservatam in plerisque rebus veterum traditionem et sensum, fidem faciunt et omnino consulendi sunt. 4° *Masora* licet in critico textu hebraici examine potissimum versetur, saepe tamen etiam notas grammaticales et lexicales exhibet, quae utpote a praecipuis Hebraeorum magistris et quidem Palaestinensibus profectae, et a vetustiore traditione haustae magni faciendae sunt. Hi quidem sunt fontes externi sive directi sive indirecti ex quibus praecipue hauriendus est usus loquendi Hebraicus.

Ad subsidia vero *interna* quod pertinet diximus ea generatim revocari ad tria, idest etymologiam, analogiam linguae, et comparisonem cum linguis vel dialectis cognatis. Quae omnia etiam ad usum loquendi Hebraicum confirmandum et illustrandum utiliter conferri possunt. Immo ob huius linguae simplicitatem et uniformitatem maioris momenti esse possunt quam in lingua Graeca aliisque occidentalibus. Ad dialectos vero linguasque affines pertinent: primo lingua *Aramaica*, scilicet *Chaldaica*, et *Syriaca*, quibus accedunt paucae quae supersunt ex dialecto *Samaritanorum*, *Zabiorum* et *Palmgrenorum*: deinde *Arabica* lingua ditissima, et longe lateque diffusa, ex qua prodierunt magna saltem ex parte dialecti *Mauricia* et *Melitensis*: tertio *Aethyopica* lingua cum vetus, seu Abyssinica, *Gheez* dicta, tum recentior et vernacula, quam *Amharicam* vocant: denique reliquiae linguae *Punicae*, et *Phoeniciae*, quae vix ab

Hebraica discrepant, et *neo-Hebraica* a Rabbiniis usitata, quae ut veteris Hebraicae soboles habenda est. De harum linguarum collatione ita statuendum est. Ex convenientia vocabulorum, praesertim radicalium, eorumque usu in praefatis linguis maxime illustrari et confirmari potestatem hebraicarum dictionum, quae quidem confirmatio eo certior est quo plures linguae in eadem significatione conveniunt: verum hic recolenda sunt quae superius diximus de huius subsidii defectu et fallacia, ea potissimum de causa quod saepe eadem vox eademque phrasin in diversis dialectis licet eadem maneat paullisper tamen diversam significationem induit: quod etiam de Semiticis dialectis seu linguis verum esse constat. Coeteris etiam paribus, non idem valor omnibus linguis tribuendus est, sed spectanda est maior vel minor uniuscuiusque antiquitas, copia, et cum hebraica lingua affinitas. Quod pertinet ad antiquitatem difficile est definire utrum Hebraica, an Aramaica, vel Arabica per se antiquior sit: verum in ordine ad nostram cognitionem Aramaica lingua sub hoc respectu coeteris praestat: ex ea enim supersunt monumenta coaeva Hebraicis Scripturae Libris, uti sunt partes chaldaicae Danielis et Esdrae, quibus addi possunt antiquae Assyriorum inscriptiones cunei formibus litteris seu characteribus exaratae, et fortasse etiam Targum Onkelosi, contra vera monumenta Arabicae linguae vix saeculo VI aerae vulgaris incipiunt, Aethyopicae etiam non nisi Christiana monumenta inde a Saeculo IV supersunt. Ratione copiae, praesertim lexicali, Aramaica dialectus paulo inferior videtur Hebraica, idemque dicendum est de Aethyopica, Arabica vero longe superior, quemadmodum etiam non parum Hebraicam superat Rabbinea seu neo-hebraica dialectus. Demum si affinitas spectetur procul dubio affinior est hebraicae linguae Chaldaica, quam Arabica, et Aethyopica cum suis derivatis. Quod quidem de Aethyopia omnes concedunt, de Arabica vero quidam aliter sensit videntur, ut Schultens eiusque assectae, qui et primas partes in dialectorum comparatione tribuerunt: sed immerito prorsus non solum quia, ut diximus, nulla supersunt huius linguae monumenta nisi pluribus saeculis recentiora Hebraeorum libris, sed etiam quia plurimas et gravissimas mutationes decursa temporum subiit, adeoque fallacem saepe normam praebet, si quis vellet ex usu et significatione vocum Arabicarum determinare valorem hebraicarum dictionum. Lite-

ratura Arabica ditissima quidem est, cum per duodecim et amplius saecula exulta fuerit et omnis generis libris literariis et scientificis abundet, verum haec ipsa copia ostendit non posse ex ea certum argumentum desumi pro usu linguae Hebraicae quae a tot saeculis demortua est et nullum incrementum nullamque evolutionem aut immutationem quemadmodum Arabica subire potuit. Quapropter, omnibus perpensis, et dialectorum comparatione primus locus tribuendus est Aramaicae linguae, una cum fragmentis Phoeniciis ac Punicis, quae tamen non ita multa sunt nec adeo magni momenti; tum vero Arabicae linguae, et quidem praecipue veteri et literali, qualis habetur in Corano Mohammedis aut in monumentis eo antiquioribus, uti sunt carmina Hamasae et Moallakat et quaedam Kuficae inscriptiones (1). Succedit Neo-hebraica dialectus, quae licet multa eterogenea admixta habeat, tamen propter scholasticam traditionem quam Rabbini apprime possidebant saepe magnam lucem affundit praesertim formis grammaticis necnon significationi familiarum phrasium et proverbiorum: huius dialecti usus in operibus Rabbidorum exegeticis, cabbalisticis, philosophicis, literariis copiosissime suppedit: postremo loco habenda est Aethyopica lingua cum Amharica quae et ab hebraica longius discedit, et in paucis monumentis superest.

II. De studio usus loquendi Graeci Sacrae Scripturae.

Multo facilius comparari potest notitia Graecae linguae N. T. quam Hebraicae. Hic enim copia mediorum etiam ex eis quae immediata et directa appellantur praesto est. Itaque cum graecitas biblica peculiaris quaedam dialectus sit ex multis elementis conflata, diversi fontes pro hac elementorum diversitate assignari possunt. Omissis autem latinis fontibus omnibus notis et ex quibus pauca tantum in graecum textum Scripturae derivata sunt, considerandi sunt fontes graecitatis biblicae 1° Quatenus est Graeca, et in specie Alexandrina; 2° Quatenus est Aramaica seu in genere Semitica;

(1) Vetusta Arabica lingua in re nostra certo praefenda est vulgari et recentiori, quae ab illa non parum distat. Inde tamen non sequitur linguam illam primo loco habendam esse, et Aramaicae praefendam; siquidem eius monumenta quae supersunt decem saltem saeculis a linguae hebraicae fato distant, quo temporis spatio credendum est plures mutationes in ea factas fuisse, quemadmodum post tempora Mohammedis in pluribus immutata est.

3° Quatenus est Christiana. 4° Denique quatenus est singulis quibusdam Hagiographis propria.

Quatenus Graeca et Alexandrina est, fontes ad eius notitiam adquirendam sunt Graeci auctores, ex quibus tamen scriptores sequioris aevi et minus ex polito praefereendi sunt antiquioribus et elegantioribus, inter omnes autem praefereendi Iudaeo-graeci, quales sunt Philo (Alexandrinus), et Iosephus Flavius. Quatenus est Semitica, eius fontes sunt imprimis Versio Alexandrina, tum vero coeterae versiones Graecae seu Graeco-Iudaicae V. T.: item ipsi libri Hebraici, et scripta Syriaca, Chaldaica, ac Rabbinica. Quatenus Christiana est ad fontes christianos primitivos revocanda est, imprimis ad scripta Patrum Apostolicorum, quae omnia graeca sunt, praesertim ubi sensum dictorum N. T. exponunt: ipsa tamen lectio librorum N. T. et attentata comparatio locorum ad hoc fere sufficit. Demum ut est singulis Hagiographis propria eius usus addiscendus est sive ex diligenti consideratione, et quadam familiaritate in lectione uniuscuiusque libri, sive ex expositionibus et observationibus veterum Doctorum.

Haec quidem de fontibus et subsidiis unde certa linguarum biblicarum notitia haurienda et stabilenda est. Cum tamen pauci sint qui per se ex ipsis fontibus eas linguas ediscere aut volunt, aut possunt, plerique vero contenti sint earum cognitionem sibi comparare ex recentiorum grammaticis ac lexicis, res summi momenti est inquirere utrum hi recentiores recta methodo, et accurato fontium usu indolem eandem linguarum biblicarum investigaverint, atque aliis sine errore tradiderint, an vero proprio ingenio levibusque coniecturis indulgentes falsa atque incerta sectati fuerint. Itaque in gratiam tyronum animadvertere invabit pro lingua hebraica opera grammaticalia et lexicalia Sanctis Pagnini, et Io. Baxtorffii repraesentare scholam traditionalem et pure empiricam, proindeque tutam normam discentibus praebere, licet non undequaque perfectam ob neglecta alia subsidia: lexicon vero Simonis, et *Lexicon manuale Gesenii* cum eius *Grammatica*, imprimis vero eiusdem *Thesaurum philologico-criticum linguae hebraicae et chaldaicae Veteris Testamenti* Lipsiae 1829 prae coeteris repraesentare recentiorum methodum temperatam, seu mixtam, in qua scilicet debita ratio habetur interni examinis linguae, et comparationis dia-

lectorum, simul vero fontium et testium traditionis auctoritas observatur (1). Grammaticam iuxta veterum et recentiorum studia brevius, sed accurate tradit C. H. Vosen: *Rudimenta linguae hebraicae Scholis publicis et domesticae disciplinae brevissime accommodata* editio 4^a curante Kaulen, Friburgi 1872. Ad Graecum vero textum quod attinet caeteris praestant G. B. Winer: *Grammatica Linguae N. T.* (germanice) editio 5^a Lipsiae 1844, quam tamen in nonnullis emendavit, et in aliis ampliavit et perfectit ex catholicis Io. Theodorus Beelen in opere latino: *Grammatica Graecitatis Novi Testamenti*. Lovanii 1838: ex lexicis autem excellunt Wahl: *Clavis philologica Novi Testamenti*. Lipsiae 1829, eiusdemque editio minor Lipsiae 1831, item Wilke: *Clavis N. T. philologica* ib. 1841, et Schleussner: *Novum Lexicon graeco-latinum in N. T.* editio 4^a Lipsiae 1819, sed caute legendi sunt, praesertim hic postremus. Omittimus auctores indicare pro aliis linguis affinis, quarum tamen studium, et ex superius dictis colligitur, summopere commendandum est (2).

ARTICULUS III.

DE USU LOQUENDI BIBLICO INDIRECTE CONSIDERATO IN VULGATA LATINA VERSIONE

Quae hucusque disserimus ad originarium loquendi usum sacrorum Scriptorum pertinent. Quoniam vero cognitio originalium linguarum, saltem accurata et perfecta, plerisque deest, qui coeterequin Scripturarum lectioni attendere debent, ideoque Scripturam in versionibus et imprimis in Vulgata latina meditari atque intelligere satagunt, necessarium erit aliquid dicere de usu loquen-

(1) Notandum tamen est in hisce operibus quaedam, licet raro, offendi, quae catholico homini probari non possunt. Hinc optime de studiosa iuventute meritus est I. P. Migne Bibliothecae Universalis editor cum eiusdem Gesenii lexicon a celebri P. Drach emendatum rursus edidit una cum grammatica eiusdem Gesenii latine reddita a F. Tempestini, aliis quoque adiectis, sub titulo: *Catholicum lexicon hebraicum et chaldaicum in V. T. libros*. Parisiis 1863.

(2) De his consule copiose et accurate tractantem laudatum Ios. Kohlgreber in *Hermeneutica biblica* §. 49. pag. 83-84.